N. 37.

DE

THEOPHANE CERA

DISPVTATIO

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO M

PHILOSOPH. DOCT. GRAEC. LITT. PROF. PVBL. ORD

IMPERIAL. ROSS. ASSESS. ACADEM. ELECTORAL. MO

VTILIVM SOCIETAT. LIBERAE ROSS. VNIVERSIT. M

PRINCIPALIS HASSIACAE ET LATINAE IENENS

VNIVERSITATISQVE CAESAR. MOSQV

CORRESPONDENTE

HOC TEMPORE

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS R

DIE VI. CALEND. OCTOBR. A. R. S. CIↃI

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS CHRISTIANVS ERNESTVS

AA. LL. M.

PARS I. DE THEOPHANE INTERP

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI

ERAMICO

IO

E

CO MATTHAEI

PVBL. ORD. COLLEGIORVM

ORAL. MOGVNT. SCIENT.

IVERSIT. MOSQ. ACAD.

AE IENENSIS SOCIO

R. MOSQVENS.

TE

ENSIS RECTORE

. S. CIƆIƆCCLXXXXII


T

IESTVS CHARITIVS

INTERPRETE.

E

IANI DÜRRII.



uanquam consentientibus plurimorum constat suffragiis, scriptores, qui prioribus inter Christianos floruerunt seculis, habere cognitos, accuratam rerum theologicarum scientiam appetenti, perquam esse vtile et necessarium: tamen, quos posterioris aeui protulerunt tempora, ne hos quidem plane esse negligendos, existimantium magna est paucitas. Recte vero horum etiam aliquam haberi curam, negari non potest ab eo, qui perpenderit vtilitatem, ex cognita per libros eorum, aetatis, qua sunt compositi, indole redundantem. Si Graeca sunt, quae legimus, eo agitur nobiscum melius. In eis enim fere omnibus, quod de paucis Latine scriptis praedicare licet, eam inuenimus orationis elegantiam suauitatemque, quae si nihil aliud, nos sola attraxerit, attractosque haud retinuerit inuitos. Fatendum quidem est, Graecam etiam orationem multum amisisse seculorum decursu virilis illius roboris, quo olim scripta animum lectorum etiamnum potenter feriunt: plurimum tamen eandem nihilo minus retinuisse antiqui decoris, eamque ob causam, vti prisco, ita recenti tempore Graeciam Latio priorem esse censendam. Sed ne diutius lectorum ipso in limine experiamur patientiam, nominandus statim est, cuius causa haec instituitur disputatio. Scilicet induximus in animum, opportu-



na hac, quae nobis se obtulit, scribendi occasione vti ad exponendam pro ingenii facultate nostram de *Theophane Ceramico* sententiam, qui seculo duodecimo, in Sicilia regnante Rogerio, ecclesiae Tauromenitanae fuit Archiepiscopus, et, seruatis, fauente fortuna, LXII quas scripsit homiliis, celebre ad posteritatem transmisit nomen.[a]) Quod si vituperarint seueri harum rerum censores, tanquam a tirocinio ineuntis aetatis alienum: laudabunt certe animum, rationibus negotio illi suscipiendo applicatum haud improbandis. Primum enim haud inutilem nauare putauimus operam, si scriptorem praeteritae aetatis, notum perpaucis, aliqua certe nominis luce collustraremus. Quanquam enim hoc ipsum, quod inter primarios ecclesiae Graecae doctores referri non potest, in causa esse videtur, cur pluribus, quam vllus alius, obscuritatis nebulis teneretur inuolutus: tamen, quum et primus fuerit, qui Millio commemorante, [b]) in Euangeliarium continuo homiliarum ordine commentatus sit; et, quod ex aetate, qua vixit, facile quisque coniecerit, Patrum ante se excellentium interpretationes multum vsurparit: equidem non temere acturus mihi videbar, qui et legere eum instituerem ipse; et, qualem legens cognouerim, talem, minus etiam splendidas non reiicientibus imagines, tanquam in tabula depictum ante oculos proponerem. Verissimum quidem est, neque operae semper facere pretium, qui PP. in locis Scripturarum interpre-

a) Qui plura de hoc scriptore scire cupiunt, adeant FABRICII Bibl. Gr. Vol. X. p. 231 sqq. vbi et exposita sunt breuiter, quae de vita illius certo possunt dici, et nominati viri docti, qui antea aliquid de eo prodiderant, SCORSVS ALLATIVS, CAVEVS. Breuius, sed accuratius, de eo exposuit SCHMIDIVS in libro infra nominato. De codicibus, quibus vsus est, SCORSVS in animaduersionibus editioni Homiliarum Theophanis, quae, ipso auctore, Lutetiae Paris. MDCXLIV in forma maxima prodiit, adiectis et in praefatione monuit. Post hunc, et MONTEFALCONIVM, et LAMBECIVM, et LEONEM ALLATIVM, qui alios similes memorarunt, adeundus est *Celeberr.* MATTHAEI, qui in programmate de *Theophane Cerameo* cIↃIↃCCLXXXVIII. Misniae proposito, et de tribus illius codicibus enarrauit, vno *Mosquensi*, *Lipsiensi* altero, tertio nunc *Dresdensi*, bibliothecae Electoralis; et animaduersiones ex Lipsiensi ad orat. XLV edit. Scorsi communis iuris fecit.

b) In prolegom. ad N. T. p. 103. *In Euangelium s. Lectionarium Euangelicum commentatus est omnium primus, quod sciam, Theophanes. Primum* dixit eum, quod huius generis homiliae e prioribus seculis ad nos non peruenerunt, vt ibi docent sequentia.

terpretandis consulant sententias, neque deesse libros, qui collectas eas complectantur: sed absoluta iam Theophanis lectione despero, minore animi fastidio idem a me potuisse aliunde repeti, quod, cum summa eius sit gratia, et facundia sane melliflua, velut e pratis herbarum florumque varietate distinctis collegisse mihi videor. Fretus igitur iudicio eorum, qui persuadent nobis, scriptorum cuiusuis aetatis ingenia nosse, fructus rem recte instituentibus largiri vberrimos, quod proposui, quanta maxima possum, diligentia exigam, atque vt iusto omnia expeditoque procedant ordine, hanc instituti rationem sequar, quam ipsa suadet materiae tractandae natura. *Quum* enim *in homiliis Theophanis,* quas excutiendas sumsimus, *omnis opera maximam partem versetur in eo, vt capita euangeliarii explicet, interpretationibusque suis vel adiungat sub finem, vel immisceat statim, quod vel ad dogmata confirmanda, vel ad alendam virtutem pietatemque facere existimarit: libelli,* quem adornamus, *vidimus quidem sua sponte prodire partes quinque, sed missis duabus, tres tantum censuimus constituendas; quarum prima de interpretatione; de modo in verbis auctorum diuinorum recitandis obseruato altera; tertia de oratione auctoris exponeret.* Nam quae vel disciplinam morum, vel doctrinarum fidei, quas vocant, expositionem attinent, ratio a nobis non est habita. Quodsi forte quis obiicere nobis voluerit, sciat neutrum nostram admisisse breuitatem; atque et doctrinam, quae de moribus praeciperet, isto tempore ieiunam fuisse ac sterilem; et, cum ceciderit aetas Theophanis in ea tempora, quibus Patrum, Conciliorum, Damascenique sufficeret auctoritas, quod ex hoc genere commemorationem singularem iure sibi exposceret, dictum ab eo esse nihil. Id tamen dedimus operam, vt, quae deinceps ad illustrandum, quod vellemus, essent ponenda, exempla eligeremus ea, quae vtrumque cognoscere cupientem haud parum existimaremus adiuuare. Tres autem illas, quas muneris suscepti imponit ratio, partes ita conabimur exequi, vt *ex iis, quae fusius disputauerimus, ad finem in arctius contractis, eius, quem diiudicatum cupimus, vera sua sponte existat imago.*

Primum igitur, *qualis interpres fuerit*, videamus. Hic vero praemonendum est, quod frequenter animaduertere licet, virorum magnorum virtutes, si fuerint excelsiores, quam vt aequiparari possent ab omnibus, eorum vitia certe solere imitatione plurimorum exprimi. Idem ergo etiam

 inter-



interpretibus medii aeui, exceptis paucissimis, culpae esse tribuendum constat. Quum enim Origenes, splendidum antiquitatis Christianae lumen, triplici interpretatione scripturas sacras coepisset enarrare; neque parum allegoriis, quarum iam tum vesanus multos inuaserat amor, impendisset solertiae: doctores, qui postea extiterunt, tantum non omnes, quod difficilius, sed rectius fuerat imitari, studio interpretationis grammaticae abiecto, in eo potissimum exemplum illius sequendum statuerunt, quod faueret leuitati ingenii, et seueras interpretationis leges negligentius obseruare permitteret. c) Quorum numero etsi eximendus non est Theophanes, *literalem* tamen, quem dicunt, *sensum*, *non praetermisit*. Operae pretium igitur est, videre de eo, tanquam praecipuo, primum; idque ita, vt *leges*, *si quas huc pertinentes habuerit*, *anquiramus*; *et vt attendamus, quomodo seruarit eas, ac quaenam potissimum difficultates effecerint*, *vt saepenumero a vera sententia aberraret*. Boni vero interpretis officium si praecipue continetur in eo, vt praecepta adhibeat Grammatices; vt loquendi consulat vsum; vt ad sententiam scriptoris, quem explicat, si quando est obscurior, certo attingendam, locis aliis, quibus apertiorem se dedit, eum loquentem audiat; vt in partibus, ab oratione reliqua seiunctim interpretandis, ex antecedentibus et consequentibus depromat, quae illis affundere possint lucem; vt denique illorum, de quibus legit expositum, mores atque ingenium, et quam secutos eos esse constat alias, agendi notet rationem; postremum, vt factorum, quibus inest insolentiae aliquid, causas indaget et referat: me quidem haud frustraturum esse spem lectorum putaui, si eos in Theophane considerando, exemplis eorum, quae dixi, omnium, ex homiliis eius repetitis, paullulum huc detinerem intentos. d) Itaque, vt de singulis constet, meum nunc est curare. Initium faciam ab Hom. 7. cuius argumentum sumtum est a parabola Domini, quae Lucae cap. 8. legitur, de agricola seminante. Hic in interpretando ille delatus ad effatum Ies. 6, 9. „acceperunt quidem, inquit, a Deo optima quaeque eligendi facultatem, sed prauis impe-

c) vid. *Celeberr.* SCHROECKH Hist. Eccl. P. IV. et quorum libelli ab eo sunt commendati. Quae ex *Origenis* l. IV. περὶ ἀρχῶν huc pertinent, ea excerpta reperiuntur apud ROESSLERVM in *Bibl. PP.* P. II. p. 187 sqq.

d) Haec cum scriberem, rationem me habuisse aetatis, qua vixit Theophanes, facile intelligitur.

impediti cupiditatibus, quae auribus exceperunt, ἀκούοντες αἰσθητῶς, mente non intelligunt, ȣ̓ συνιȣ͂σι νοητῶς; et dum aperiunt corporis oculos, claudunt mentis, ὁρῶντες τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τοὺς τῆς ψυχῆς ἐπιμύουσιν. Hanc vero prophetae verbis ſententiam cur ſubiecerit, rationem addit: τὸ ἵνα ἐνταῦθα οὐκ αἰτιολογικῶς εἴρηται, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἐκβάσεως. Comparentur cum his, quae leguntur Hom. 25. εἰς τὴν τȣ͂ δικαίου Λαζάρου ἀνάστασιν, p. 160. C. vbi negans ille, mortem Lazari ob magnitudinem potentiae diuinae, miraculo a Ieſu patrato, celebrandam, eueniſſe, non niſi πρόφασις, inquit, θεϊκῆς δόξης ὁ θάνατος γέγονε· τὸ γὰρ ἵνα κ. τ. λ. crebrioremque huuc huius particulae vſum loco Ieſaiae modo allato et Rom. 5, 20. oſtendit. Aliud memoro, quod eſt Hom. 28. εἰς τὸ πρῶτον ἑωθινόν, p. 218. C. ſqq. ubi, quam Matth. 28, 20. auxilii Ieſus promiſſionem facit, Apoſtolis nunquam defuturi, ad omnem aeternitatem protrahens, notat: οὐχ (ὡς) χρονικὸν τὸ ἕως παρείληπται, ἀλλ᾽ (ὡς) ἀόριστον, additis ſimul ad id perſuadendum locis V. pariter, ac N. T. — Hom. 9, p. 54. A. regulam, quam vtrum ſuo loco adhibuerit, diſceptabitur poſtea, ſubiicit hanc: ἑνικῷ ἀριθμῷ ſaepius σημαίνεσθαι πλῆθος. Satis enim eſt nunc, admonuiſſe, Matthaeum cum Marco et Luca eum ire conciliatum, quorum ille duo perhibet in regione Gadarenorum daemoniacos Ieſu fuiſſe obuiam factos, hi vnum. [e]) *Vim articuli vrget* cum alias, v. c. H. 23, p. 119. A. tum H. 55. p. 374. C. quo loco Petrum profitentem, Ieſum eſſe Chriſtum, filiumque Dei viui, πάντα, exclamat voce victrici aduerſus Neſtorium, Armeniosque ſublata, μετὰ τȣ͂ ὀρθȣ͂ εἰπόντα, γεγωνότερον τῆς μακαρίας ȣ̓σίας καὶ μονοειδοῦς φύσεως δηλῶσαι τὸ ἐξαίρετον. *Synonymiam ſeruat atque Homonymiam.* *Prioris* exemplum ponimus H. 18, p. 115. B. vbi vitae futurae beatitatem, imagine a rebus, quae habeantur hominibus pretioſiſſimae, deſumta, adumbratam eſſe docere volens, ſollicite conquiſiuit nomina, quibus in ſcriptis ſacris eſt inſignita: *alterius*

 H. 25.

e) Loquitur eiusdem homiliae ab initio de diuerſa ciuitatis, ad quam illud factum eſſe narratur, apud Euangeliſtas appellatione, *Gergeſa* et *Gadara*. Duo praeterea nomino locos, Matth. 5, 1. et Luc. 8, 17. quorum inter ſe, quem cum multis recentioris aetatis eſſe opinabatur, diſſenſum ita tollere ſtuduit, vt diceret; montem, quatenus non ſit abruptus ac praeceps, ſed circumductus in latum, planitiei, cuius faciem aſſimilet in vertice ſtantibus, commode ferre nomen.

H. 25. p. 160. D. vbi pro more multiplicem loci subiecti sententiam propositurus, docet, ἀσθενείας vocabulum triplici significatu vsurpatum reperiri: ἀσθενῆ enim Rom. 14. 3. τὸν ἀπαγέα πρὸς πίστιν καὶ οἷον κλονούμενον atque ἀσθένειαν nunc esse σωματικὴν νόσον, vt Ioann. 11, 4: nunc τὰς κατὰ τῶν ἁγίων ἐπιβουλὰς καὶ διωγμοὺς παρὰ τῶν ἐχθρῶν, vt 2 Corinth. 12, 9. Omnino dicendum est, *vsum loquendi ab eo esse consultum saepius.* Sic Hom. 8, p. 46. B. sqq. animaduertit ad Luc. 16. *diuitis* nomine appellari in literis sacris plerumque impium. Quamuis enim proborum etiam hominum in illis fiat mentio, qui omnium abundarint rerum copia, sicut Abraami, Iacobi, Iobi: eos tamen nusquam πλουσίους dici, sed πολυκτήμονας καὶ πληθυνθέντας ἐν ἀνδραπόδοις καὶ κτήνεσι. Quod interdum vel necessitas cogit, vel suadet veram auctoris mentem sine ambagibus assequendi cupiditas, vt *plures vel eiusdem, vel aliorum, si modo eadem de re, eodemque consilio praeceperint, enunciata comparemus:* id, cum non minus euenerit Theophani, tuetur aliquantulum eum apud posteros a criminatione, quae aduersus eius, opiniones quasuis auctoribus sacris obtrudendi, libidinem suo erit tempore adferenda. Refutaturus enim ille H. 30, p. 228. A. B. temerariam nonnullorum audaciam, qui abusi erant Marci 16, 16. ad demonstrandam fidei, factorum testimonio non comprobatae, vim, suo sane loco Matthaeum cap. 28, 19. 20. excitauit, illudque Domini homines eiusmodi grauiter reprehendentis occinuit dictum: οὐ πᾶς, ὁ λέγων μοὶ, Κύριε, Κύριε κ. τ. λ. Neque vituperandus est, quod H. 46, p. 322. A. B. verba Matth. c. 8, 24. σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ex aliis Euangelistis reddidit clariora, cum, sicut notum est, et Scorsus in Notis ad h. l. probauit, σεισμὸς Graecis esset terrae motus, atque adeo audientibus concionantem vtique posset videri ἀπίθανον, μέσον θαλάσσης γενέσθαι σεισμόν. Haud parum porro interest ad orationem *auctoris*, quem legimus, recte intelligendam, vt sciamus, *quomodo ad singula, quae dixit, deinceps venerit, siue res gestas enarret, siue proponat de iis, quae non cadunt sub sensus.* Hoc autem praeceptum, sine quo omnis interpretum labor imperfectus est, quanquam non ignorauit noster, nec neglexit penitus: tamen, quantum equidem cognoui, non tam ad rei subiectae illustrationem, quam ad virtutis pietatisque conformationem adhibuit. Quare, quum nunc id solum agatur, vt, quae leges apud illum reperiantur saniores, explicetur; et plane silentio praeteriisse, quod

huc

huc pertineret, nefas erat, et plura dicere, quae possent absolui paucis, superfluum. Vnum igitur appono exemplum, quod ex Hom. 6. *περὶ τȣ̃ ὑιοῦ τῆς χήρας* repetitum esto. Commemorat ibi ad Luc. 7. vnde haec pericopa decerpta est, Iesum ab vrbe Capernaum reducem esse factum, cum in ciuitatem Nain se contulisset, eumque peditem pro consuetudine incessisse, non festinantem iter; idque eo consilio, partim vt doceret, animi grauitatem non esse dedecorandam gradus incompositi praecipitantia; partim, vt certam sui persuasionem significatam daret, etiam sepulcro depositum a se resuscitatum iri. Quod si esset animus, laudibus exornare interpretem nostrum, maiori fortasse cum veritatis specie id faceremus nunc, cum profitendum est, *in causis, cur aliquid sit factum, indagandis, operam eum collocasse* haud exiguam, nec raro felici comitatam successu. Certe non apparet, quid reprehendamus eum Hom: 31, *εἰς τὸ τέταρτον ἑωθινὸν*, p. 233. ad Luc. 24. hoc modo philosophantem: Petri, ad monumentum Domini corpore vacuum obstupescentis, dubitationem inde potissimum esse exortam, quod linteamina, quibus mortuum inuoluissent, conspexisset sola; quippe quae myrrhae atque aloës tenacitate ita adhaerere soleant corpori, vt difficillima vtrorumque fiat distractio. Dicit hac de re aliquoties. Hom. 25. et 33. Hinc autem quod admirationem deduxit Apostoli, id non temere fecit. Namque Hom. 32. *εἰς τὸ πέμπτον ἑωθινὸν*, p. 235. D. ad Luc. 24, 21. docet, discipulos aegre sibi persuasisse de Magistri in vitam reditu. Qui enim ante diem illius fatalem spem fouissent longe certissimam, fore, vt, populo Iudaico in libertatem vindicato, regnum sit constituturus his in terris amplissimum: eosdem, tertia iam a caede eius facta die, inuasisse metum, ne in putredinem abire coeperit, (pag. 236) quae, vt alibi monet, corpus humanum abhinc consumat. Haud minus probanda est *eius in moribus illorum, de quibus Euangelistae narrarunt, notandis diligentia.* Domini quidem, quem conuenerat Luc. 10. legis peritus, doctrinae illius indolem propius cognoscendi cupidus, haud inepte, quanquam loco fortasse minus opportuno f) animaduertit consuetudinem, *τȣ̃ διὰ τῆς ἀντερωτήσεως πείθειν τȣ̀ς πειράζοντας.* H. 11, p. 64.

f) Namque l. c. v. 26. prudentia Domini non in eo inest, quod interrogationem hominis, qui ipsum adierat, repulit interrogatione, vt putat Theophanes; sed quod ad leges Mosaicas eum ablegauit.



p. 64. D. — eiusdemque in calamitatibus, quibus discipuli futuri obnoxii essent, aperiendis, summam prudentiam, qua non ab initio statim necis subeundae infelicitatem, sed minorum, quae ipsis antea essent perferenda, malorum commemoratione praeparatis demum, quod omnium maxime auersetur animus humanus, sui discidium a corpore, idque inter cruciatus non solum, sed cum ipsa nominis infamia faciendum, praedixerit. Ita enim adsuefactos paullatim eorum fuisse animos, ad grauissima quaeque imperterrite ac constanter expectanda. ἄνω μὲν γὰρ εἶπεν (ὁ Κύριος) ὅτι μισηθήσεσθε, εἶτα καὶ διωχθήσεσθε, τελευταῖον δὲ, ὅτι καὶ οἱ ἀποκτενοῦντες ὑμᾶς, οὐδ' ὡς φονεῖς, οὐδ' ὡς ἄδικοι λογισθήσονται. ἦν γάρ τις ἴσως παραμυθία, καὶ τὸ δόξαι ἀνεγκλήτως παθεῖν· τὸ δὲ καὶ ἀδίκως πάσχοντα ὑπεύθυνον νομίζεσθαι, λίαν ἀνιαρόν. Hom. 56, p. 383. Locus vero omnino dignus, cuius particula certe quaedam huc adscriberetur. Quibus omnibus suo se iure adiungit, quod de colloquio Iesu cum muliere Samaritana instituto Hom. 38, p. 268, A. admonet, nimirum hoc: imprudentem eam ab illo, quem omnia alia putarit agere, ad altiora, animo secum reputanda, esse adductam. Femellae enim isti, inquit, hominem Iudaeum a se potum postulare, magnopere admiranti, reique tam insolentis, quaenam esset causa, curiose sciscitanti, non hoc, de quo erat interrogatus, respondit Iesus, πλαγίως δέ πως, καὶ ἠρέμα πρὸς τὰς ὑψηλὰς ἐννοίας ἐμβιβάζει αὐτήν. Sic vero disserentem Theophanem cum nullus dubitem, quin lubenter audiant omnes, addo praeterea hoc, quod aeque placeat, *ex antiquitate ab illo quoque repeti, quae interpretationem eius iuuent.* Hoc agens Hom. 10, p. 59. C. cum quaereret, cur foemina illa, quam sanguinis profluuio laborasse Euangelistae narrant, furtim accesserit ad Seruatorem, nec palam, vt reliquae mulieres, quibus medelam adhibuerit alio tempore; legem appellauit Mosaicam, qua morbo isto affectarum ipse contaminabat tactus. Procul quidem abest ab agnoscenda eius opinione superstitiosa, qua vestimento Domini ipsi aliquam inesse putabat vim diuinam, sed tamen caussam salutis, cuius facta est particeps, a fide illius sola repetit. Addit enim p. 60. A. milites, Iesu patientis vestes multum contrectantes manibus, nihil accepisse vtilitatis. Sed redeo ad Hom. 38. in qua sermones Domini cum Samaritana ad puteum collatos enarrauit. Ipsum illorum initium recte intelligere non potest, qui ignorat, quo populi Iudaici et Samaritani ciues inuicem aduersus se

affecti

affecti fuerint animo. Cuius rei cognitio quum nec facilius, neque accuratius comparetur, quam inquirenda harum simultatum origine atque incremento: aptissime profecto hanc enarrationem prius instituit, quam ad ipsam pericopae progrederetur interpretationem. p. 265. sq. Cogat agmen eorum, quae hactenus recensuimus, exemplum, ex Hom. 14. desumtum, in qua, quum de Genealogia Seruatoris a Matthaeo contexta verba faciat, opportune mentionem iniicit moris apud Iudaeos recepti, gentis a prima stirpe deductae adornandi tabulas. Hae igitur sunt leges, quibus se adstrinxit Theophanes, sanae ac sobriae; praeter quas etsi sunt aliae, quas exactius adinuenit nouissima aetate exegeseos studium: tamen earum, quae in homiliis huius interpretis passim sunt adhibitae, nullam leuiter puto legenti mihi esse elapsam. Geographiae enim, cuius vtitur aliquoties subsidio, exempla proferre propterea nolui, quoniam eorum, quod scitu esset dignum, reperi nullum.

Potuit vero ex iis, quae hactenus excerpsimus, intelligi aliquatenus, *quomodo has ipsas, quas cognouimus seruatas ab eo, leges in vsum interpretationis conuerterit.* Sed quum melioris tantum notae exempla adhuc sint producta; age, si quid secus fecerit, indicemus. Hanc enim disputationis partem eo minus possumus intactam relinquere: quo magis constat, vel ab optimis aetatis nostrae interpretibus recta praecepta interdum male collocari; et quo facilius intelligitur, illud tempus, quo Theophanes vixit, ab hoc vitio non potuisse haberi liberum, cum in allegorica interpretandi ratione praecipuam laudis poneret partem. Fateor igitur, quod lectio homiliarum eius continua fateri me iubet, *perpaucos ab eo ita esse explicatos script. s. locos, vt non praeceptis solum bonis, sed iisdem recte etiam vsum illum esse, merito praedices.* Quod dico, quale sit, vt intelligatur commode, e multis, quae huc pertinent, pauca afferam. Verba Iesu apud Matth. 17, 20. ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, non inepte monet Hom. 23, p. 149. A. δεικτικῶς fuisse prolata, cum regio Iudaeae crebrioribus montibus attollatur. Sed quando per articulum praepositum, additumque τὸ τούτῳ significari putat, sermonem non esse περὶ αἰσθητοῦ ὄρους, sed δαιμονίου τοῦ σεληνιακοῦ, quod vocat: tum vero optimam regulam pessime adhibitam, quis non indignetur? Eodem consilio, vt viam sibi pararet commodiorem ad ea, quae modo retulimus, efficere vult, p. 148. per τὸ ὄρος in scripturis indigitari diabolum. Plures igitur recitat locos e Ieremia, Iesaia, Cantico, Abaco, epist. ad Corinthios,



Hactenus bene. Sed in horum quouis, si quaesiueris, quid momenti insit ad probandum, quod voluit, praeter vocem eandem, inuenias nihil. Cum supra vindicaremus Theophani quoddam in dissensu Euangelistarum submouendo studium, attulimus inter alios, qui eius rei specimen exhiberent, locum Matthaei, qui agit de daemoniacis Iesu benignitate sanatis, cum Euangelistis reliquis in consensum ab eo adductum. Non obliti sumus, quod tum concessimus, singulari saepius numero efferri, quod est de multitudine intelligendum: sed, quod vituperatur in medicis, vnum diuersis morbis parantibus remedium, id Theophani quoque hic esse vitio vertendum, in aperto est. Neque ostendere est necesse, quod omnes norunt, in rerum, quae sunt in facto positae, enarrationibus aliorum explicandis, legem istam nullam plane habere vim; neque sentiri non potest, quam grauiter erratum ab eo sit, simulac audiuntur, quibus mentem exposuit. Quoniam non multa sunt, ipsius adscribo verba: Ἑνικῷ ἀριθμῷ πλῆθος σημαίνεται· φαμὲν γὰρ, ὡς ἦλθεν ὁ θεὸς, σῶσαι τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸ ἀπολωλὸς ἐζήτησε πρόβατον, διὰ τῆς ἑνικῆς σημασίας τὴν ὅλην φύσιν τῶν ἀνθρώπων σημαίνοντες. Quas ille enunciationes qui eiusdem ac verba Euangelica naturae existimarit, hoc vero definiendum permitto aliis.

Quod tertium est, appellemus impedimenta, quae interpretanti Theophani obstiterunt. Haec autem cum recensemus, non hoc animo habemus propositum, vt omnium ac singulorum, quibus aetas illa abundarit, agamus censum; neque vt noua aliqua, quibus ille laborarit vnus, nota reddamus: illud enim esset, acta agere; hoc, noua promittere, vbi omnia cernuntur vetusta: suscipimus potius hanc disputationem propterea, quod intelligimus, multam nobis per eam enaturam esse occasionem, accuratius cognoscendi Theophanem. Dum enim comperimus, quomodo e difficultatibus illis se expediuerit, quod pro ingenii, qua alter ab altero differt, proprietate, non omnino communi cum reliquis ratione poterat conari: indicia apprehendimus certissima, quibus, si quid habuerit insigne, obseruemus, eumque ab aliis distinguamus. Variorum vero, vt vidimus, cum in leges inquireremus interpretanti ipsi ante oculos positas, subsidiorum habuit vsum, sed eundem, vt apparebit ex iis, quae nunc excerpenda sunt, non nisi mediocrem. Quare etiamsi sciebat nonnulla, quibus vera regeretur interpretatio: saepius tamen ampliore rerum, qua opus erat, cum careret cognitione, suscepti officii partes parum felici-

feliciter est executus. Ex quocunque enim demum sit, illarum genere aliqua tantum nosse, non sufficit. Hinc igitur fit, vt eodem homine et laudandus nobis veniat et vituperandus. Nunc enim, vt exemplis res inclarescat, cum sciret, historiae vsus est consilio; nunc, cum nesciret, eam in auxilium vocare non potuit; nunc diligenti vsus loquendi obseruatione feliciter loci subiecti eruit mentem; nunc, etiamsi non minorem adhibuerit operam, frustra in eam enisus est. De his pariter, ac reliquis, quae consulto praetereo, constat, cum ingens sit rerum copia, qua instructus esse, atque vti saepius coniunctim debeat is, qui veram auctoris sententiam vbique cupiat assequi, Theophanis studium non nisi eo vsque cum successu potuisse progredi, quo a rerum interpretanti sibi necessariarum scientia perduceretur. Hinc nemo mirabitur, cum docentem eum audit: *ὁμολογεῖν ἐν Χριστῷ* esse *οὐ τῇ ἰδίᾳ δυνάμει, ἀλλὰ τῇ ἄνωθεν χάριτι βοηθούμενον τὴν ὁμολογίαν παῤῥησιάζεσθαι*, (H. 41, p. 289. C.) et discrimen esse statuendum inter *ὁμολογεῖν τινὰ* et *ἐν τινί* — *ἁμαρτάνειν εἰς τὸν οὐρανὸν* significare: *πεπεισμένον, ὡς κλῆρος αὐτοῦ ὁ οὐρανὸς, καταλιπόντα τοῦτον πλημμελεῖν.* (H. 17. p. 108. B.) *calicem* Marc. 10. appellari *mortem Domini, tum, quia libenter eam, tanquam poculum hilare susceperit; tum, quia per eam, tanquam per somnum in vitam redierit; baptisma* autem, *vtpote purgantem nos a peccatorum labe* (H. 24, p. 152. B.) *legisperitum, qui quaesiuerit a Iesu: τίς ἐστι μου πλησίον; virtutis eximiae opinione elatum indignationem prodidisse illi, existimanti, reperiri aliquem, qui perfecto legum diuinarum obsequio ipsius attingeret praestantiam.* H. 11, p. 66. A. Sed *ad has, quas sua natura adiunctas sibi habet difficultates litteras sacras interpretandi negotium, nec pauciores, nec minores adiecit, quae tum temporis summum obtinebat fastigium demens allegorias captandi cupiditas, opinionumque, quae semel receptae erant, Patrum conciliorumque suffragiis inuiolabilis sanctitas.* Haec enim, quantum retinuerit progressus exegetici studii, in quo vno Theologia liberalis, ex quibus vires sumat, habet parata, sciunt omnes, qui temporum morbo isto aegrotantium historiam retro possunt mente persequi. Illa autem mystica, allegorica, anagogica orationis biblicae explicatio ad declarandas literas sacras adeo non fecit momentum, vt easdem spissiori obtegeret velamine. De vtroque nunc exponere, non est animus. g)

g) Legatur SCHMIDII liber, qui inscribitur: *Anleitung zum populären Kanzelvortrag*, P. III. historica.



Quod enim de impotenti allegoriarum ſtudio dicendum eſt, id aſſeruamus alii loco, cum pluribus in illud inquirendi praeuideamus neceſſitatem. Itaque conſiſtamus in altero. Quemadmodum autem ſummo cum iure imprudens pariter ac non ſatis pia quorundam reprehenditur agendi ratio, qua intempeſtiuo nouandi incitati pruritu antiquos temere contemnunt, eorumque auctoritatem omnino nullam eſſe volunt: ita neque aliorum laudanda videtur nimia animi religio, qua cultu ſane ſuperſtitioſo maiorum amplectuntur conata; ita, vt ab his, ne latum quidem, quod aiunt, diſcedere vnguem audeant. Habent enim hi non minus, quam qui vlla ſunt opinione occupati praeiudicata, praefixum ſibi ante oculos exemplum, quod conſtanter inſpiciant, et cui, quicquid tractent, aſſimilent, ſiue ſponte ſe accommodet ad illud, ſiue ſit vi inflectendum. Quo modo ſi ſentiunt ii, quibus literarum ſ. interpretatio eſt permiſſa, his metuendum vehementer eſt, ne quid detrahatur dignitatis apud eos, qui his de rebus male eruditi perniciosiſſimam quamque de eis animo concipiunt opinionem. Non enim efferunt eiusmodi interpretes, quod ineſt, ſed inferunt, quod ineſſe velint. Aliquoties explicauit Theophanes, quid intelligeret per formulam: *Sedere ad alicuius dextram,* Conſtat vero, eiusdem eam, ſi in vniuerſum ſpectetur, eſſe poteſtatis, cum adhibetur de Chriſto, quam habet alibi. Illum autem *ſedere* docet dici *ad dextram Dei*, tanquam *immutabili praeditum bonitate ac benignitate.* Iam, quum Hom. 24, p. 153. D. quiduam denegatum ſit Ioanni et Iacobo Marc. 10, 40. bene intellexerit: quis eſt, quin perſpiciat, diuinam Seruatoris naturam, in fraudem verae interpretationis, menti eius eſſe obuerſatam? In Marci enim loco, quem adſcripſimus, quanquam fontem neſciit, ex quo tuto hauriret, coniectando ſaltim veram aſſecutus eſt ſententiam. Namque hic cur non proprie acciperet hanc phraſin, cum cauſam reperiſſet in eo, quod Matth. 25, 33. pii pariter atque impii *ſtantes* dicerentur expectaturi iudicis, ſub finem mundi, transactae his in terris vitae ſententiam: per *ſeſſionem* docet, ratione praeterea non adiecta, *honoris* temere concupiti exprimi *magnitudinem.* Ex hac igitur diuerſa, quam vni eidemque formulae ſine neceſſitate ſubiecit, ſignificatione colligitur, *ſtudium illius exegeticum haud parum fuiſſe impeditum cupiditate, doctrinas aliter ſentientium dubitationibus vnquam perturbatas, omni tempore tuendi.* Facile fuerit, [h]) idem pluribus confirmare; ſed quum cuique appareat, id non temere dici de eo, qui fuerit cultor PP. obſer-

obseruantissimus, eorundemque laudator saepe nimius: satius esse puto, eos, quos secutus maxime sit magistros, nominare; et quanta eos coluerit reuerentia, certa, quae ipse dedit, indicia ostendendo, edocere. In multis vero illis, quorum magna est apud eum existimatio, primas detulit *Gregorio Nazianzeno*, [i]) secundas *Nysseno*, [k]) *Basilio* tertias. [l]) *Eusebium*, *Epiphanium* et *Cyrillum* commemorauit rarius; *Chrysostomi*, si memini recte, non nisi semel mentionem fecit, hac, credo, de causa, quod huic *συμπαθεῖν* non posset tantum, quantum *Maximo τῷ Θείῳ*, et *Ioanni Climaco*, *τῷ τῆς ἀσκητικῆς κλίμακος συγγραφεῖ*, quorum doctrinam pietatemque pleno saepius laudauit ore. [m]) Ad hos igitur est redeundum, horum sunt euoluendi libri, quoties vel diserte dicit, PP. se velle sequi doctrinam, suppressis tamen eorum nominibus; vel aliunde

h) H. 2. p. 12. D. et p. 13. A. Matthaei c. 18, 34. ad demonstrandam vtitur poenarum infernalium aeternitatem. *Ἐπειδὰν γὰρ ἀμήχανον*, inquit, *πᾶν τὸ ὀφειλόμενον ἀποτίσαι τὸν κολαζόμενον, ἀνάγκη, τοῦτον ἀϊδίως κολάζεσθαι*. Hanc vero ex loco illo vt adstrueret argumentationem, in causa erat *ἡ μυθώδης Ὠριγένους ἀποκατάστασις*, quae cum maxime stomachum illi mouerat.

i) Plurimas *Gregorii Nazianz.* exprimit sententias, quarum primariae sunt — de diabolo, qui spe praestantiae diuinae assequendae deluserit primos homines, a filio Dei, per corpus, quod assumsisset, tanquam escam, obiectum vicissim decepto; Hom. 24. p. 154. C. D. et p. 155. A. — de poena mortis benigna, quippe qua liberetur animus ab iis, quae cum animantibus brutis homo habeat communia. H. 6, p. 32. C.

k) *Nyssenum* sequitur in distinguendis vocibus: *εὐχή* et *προσευχή*. H. 16. p. 94. D. — in explicandis verbis: *sequere me*, a Deo Mosi dictis. H. 22. p. 141. A. — in eo, quod docet, hominis perfectionem hac quidem in vita inchoari, sed absoluendam esse in futura. — Interpretationem Gen. 3. quam vnam reddunt vterque Gregorius de vestibus pelliceis, quibus induti a Deo dicuntur primi homines, recepit, eamque protulit praeter alios locos Hom. 11. p. 66. D. Verba sunt: *τὸ μὲν βαρὺ τοῦτο καὶ βριθὸν ἐφόλκιον, τὸν σάρκινον θύλακον, ὃν ὡς δερμάτινον χιτῶνα μετὰ τὴν πτῶσιν ἐνεδυσάμεθα, τοῦτον πάλιν διὰ θανάτου ἀποτιθέμεθα.*

l) *Basilium* nominat, dum adhortatur ad honorem imaginibus habitum transferendum in prototypum. Ita enim fore, vt per sensus ducantur ad pietatem. H. 20. p. 128. D. — et quae sunt reliqua.

m) *Eusebium* H. 28. p. 214. C. *Epiphanium* H. 32. p. 234. D. *Cyrillum* H. 4. p. 22. A. — Scripta *Chrysostomi*, sunt quidem haud rara vestigia, e quibus pateat, diligenter ab eo esse lecta; quippe cuius et orationis elegantiam est imitatus, et interpretationes script. s. saepe in rem suam conuertit:



de suspicio sit, sententiam, quam proposuerit, non ipsius fuisse, sed eorum, qui prius vixerint, n) Quorum quum tanta sit apud eum auctoritas; vt illos saepe videatur reuereri anxie; o) si quando diuortium fecerint sententiarum, eam prae ceteris amplectitur, quae piis cogitationibus in animo excitandis magis haberi possit idonea. p)

Sed

uertit: v. c. H. 31. p. 233. ad Luc. 24. coll. *Euthymii Zigabeni* Commentar. in Ioann. c. 20. v. 6. qui excerpsit ibi Chrysostomum; Hom. 38. p. 268. A. coll. *Hom. Chrysostomi*, quas edidit *Celeberr.* MATTHAEI MDCCXCII. Vol. 1. H. 2. c. 1. — et alibi; nec non cum laude eius meminit H. 17. Περὶ τῦ ἀσώτϑ υἱοῦ, p. 101. A. sed interpretationem eiusdem, quam dederat hic parabolae Luc. 15. postponit aliis, quae maiori sagacitate quaesitae, eamque ipsam ob causam Theophanis ingenio magis erant accommodatae. — Increpat H. 24. eos, qui Marc. 10, 32. sqq. discipulos Domini aemulationis accusent, cum ita potius sentiendum esse putet: indignatos illos fuisse Iacobo et Ioanni, quippe petentibus eiusmodi, quae consilio Magistri essent contraria. Hic quidem non nominauit Chrysostomum, sed procul dubio in mente habuit. Is enim, quantum constat, interpretum, quorum, aetate Theophanem praeeuntium, opera supersunt, vnus est; quem non pudeat, hanc discipulorum imbecillitatem libere fateri. — Sed eo frequentius, *Maximum* et *Climacum* quantopere coluerit, licet videre. De *illo* vid. H. 5. p. 72. C. H. 17. p. 104. C. H. 27. p. 199. D. — de *hoc* H. 14. p. 87. H. 18. p. 94. C. — *Sacram coenam* H. 32. p. 238. B. appellat φρικτὰ μυςήρια; et quidem ita, vt appareat, hoc nomen, quod *Cyrillus Hierosolymitanus* (in Catechesi V. Mystagogica) et *Chrysostomus* (in H. de Eucharistia in Encaeniis; H. 18 in poster. ad Corinth. et περὶ ἱερωσύνης) dederunt ritui illi in memoriam Seruatoris Optimi adhuc celebrato, nostri Homiletae tempore in summam iam cessisse consuetudinem. Sermo enim l. c. est de discipulis Emaunticis, qui, vt ex Luca notum est, Magistrum fuisse, quicum coenarint, ex munere patrisfamilias, frangendi panes, quod in se susceperat ille, agnorant. Quod vt transferret ad animum Theophanes, haec dicit simpliciter: ἀποκαλύπτεται (scil. λόγος, filius Dei) μᾶλλον αὐτοῖς (hominibus piis) ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, ἐν τῇ μεταλήψει δηλαδὴ τῶν φρικτῶν μυςηρίων.

n) v. c. H. 19. p. 123. B. vbi *Gregorii Nysseni de vita Mosis* iisdem fere vsus est verbis. Hom. 8. initium desumtum est ex orat. *Gregorii Nazianz.* de Natiuitate. Vtriusque locos adscripsit SCORSVS in nota 1 ad hanc hom.

o) v. c. H. 8. p. 51. C. *Gregor. Nyss.* dialog. de anima et resurrect. in explicando χάσματος vocabulo, quod separare dicitur Lazarum et diuitem magno interuallo interiecto. Non rara sunt huius rei exempla.

p) relegatur *n. m.*

Sed redeamus ad *difficultates, quarum in ipso interpretandi negotio ratio inest;* fidei memores datae, quam quominus adhuc praestaremus, res eiusdem argumenti, imprudentibus quasi se nobis insinuantes, impediuerunt. *In illa* igitur, qua laborabat Theophanes, *inopia instrumentorum,* quae veluti domestica sibi debet habere, qui recte hoc in negotio exequendo versari vult, saepius videmus illum, *vbi vnius absentia perturbari poterat, alterius adiutum praesentia, atque eorum omnium, quibus nos adiuuamur optime, vsura denegata, ingenio certe assequi multa,* quae etsi iustis non comparata praesidiis, tamen vel propter vtilitatem ad auditores nihilominus redundantem; vel, quod casu interdum solet euenire, propter felicitatem, eodem, quo alios recta deducit via, quauis alia perveniendi, non dicam probanda, certe non reprehendenda austere videntur. Quod quale sit, haud inutile fuerit, cognoscere. Hom. 30. *εἰς τὸ τρίτον ἑωθινόν,* p. 229. sentit necessitatem explicandi, quid sit *καθίζειν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ.* Veretur enim, ne in falsam delabantur auditores opinionem, quasi ita sedeat Deus, vt spatium aliquod expleat. Vnde tamen originem formula traxerit, nescit. Optimum igitur esse ratus, dissimulare animi dubitantis anxietatem, confidenti lingua mentem ad Deo dignas erigi iubet cogitationes. Verissime quidem et *stare* eum dici, et *sedere.* Sed quum impium sit, de natura praestantissima idem sentire, ac de corporibus: ita potius esse iudicandum, vt *διὰ μὲν τῆς στάσεως* intelligatur *τὸ ἐν παντὶ ἀγαθῷ στάσιμον, διὰ δὲ τῆς καθέδρας τὸ ἀμεταπτώτως ἐγκαθιδρῦσθαι τὸ θεῖον ἐν παντὶ ἀγαθῷ, καὶ σταθηρὰν ἔχειν τὴν ἐν τῷ καλῷ μονιμότητα.* Hic igitur quum praesidio illo careret, quod vnum poterat huic loco adhiberi *recte, θεοπρεπῶς certe ex notione Dei interpretationem instituit;* et quum a vera aberraret sententia, errori certe cauit, *ἀνθρωποπαθῶς* sentiendi de Deo. Sed *veram interdum, etsi fontis, ex quo rerum gnaris hauritur, aditu sibi praecluso, attigit sententiam.* Sic H. 8, p. 49. A. *nescit* quidem *formulam:* *ὁ κόλπος τοῦ Ἀβραάμ, e more gentium Orientalium, coenae accumbentium illustrare; sed quoniam molli in alterius quiescere gremio, imaginem praebere vidit idoneam tranquilli securique animi, haud perperam illam explicat* per *τὴν ἀγαθὴν κατάστασιν τῆς ψυχῆς, ἐν ᾗ τοὺς δικαίους ἀναπαύει ὁ λόγος.* (filius Dei). q) Eadem illum prosperitas secuta est H. 9, p. 55. D. sq. in diluenda eorum obiectione, qui narrationem Euangelistarum de daemoniacis prope Gadaram a Iesu

q) vid. SVICERI Thes. eccl. Tom. II.

Iesu sanatis, in dubium vocarant propter factam porcellorum mentionem, quorum greges alere vetitum fuerit *Iudaeis*. *Putat quidem ab his habitatam fuisse vrbem, sed nihilosecius apte satis rem expedit.* Quum enim *Iudaea vectigalis fuerit Romanis*, consentaneum esse, credere, *gregum illorum dominium ad milites pertinuisse ibi in praesidio collocatos*, quippe qui nihil curarint, si qua ex animalibus istis terrae sanctae contraheretur immunditiee. *Antiquitatum Hebraicarum* cum alibi, tum H. 27. p. 200. A. *manifesto prodit ignorantiam*, cum vestem Iesu albam ab Herode indutam esse dicit, ad innocentiam illius significandam. Hic igitur quanquam eum vera rei latuit causa, ea certe vsus est, quae plane improbari non possit, imo valere eo, vt excuses potius illum, quam vituperes. Nam *cum omnino apud veteres sacer habebatur color iste, tum praecipue apud Orientales*; quibus vestes albae dignitatem indicabant, et sanctitatem adeo candore nitentes. r) Quum *orationis* esset *studiosissimus*, factum est, vt *quam ei adhiberet diligentiam, ea vteretur ad incommoda, quae ex absentia iustorum subsidiorum orirentur, imminuenda.* Explicat hoc modo H. 15, p. 88. C. nomen: *ἀρχιτελώνης*. Quum enim instituta Romanorum parum nosset: Zachaeum ab Euangelista appellatum ita censet, vt foenerationis iniquitatem, ob quam male ille audiebat, exprimeret. Sic enim ferre linguae consuetudinem, vt, si quis in aliqua re excellat, siue bona sit illa, siue mala, nomini, peritiam illius significanti praeponatur *excellentiae*, *ἀρχῆς* vocabulum; quo ex genere sint *ἀρχιλῃστής*, *ἀρχιμάγειρος*, *ἀρχιτέκτων*.

Haec vero omnia, quae adhuc de interpretatione Theophanis grammatica dicta sunt, vltro citroque animo perpendentibus hoc sua sponte prodit iudicium: eam legibus quidem inniti satis spectatis, sed vel ob peruersum earum, quem faciebat, vsum, vel propter inopiam, qua aetatis culpa premebatur, subsidiorum maxime necessariorum, nutare saepissime, atque inclinare in falsum. Diligentiam assiduitatemque in eo nemo aequus desiderauerit. Vt enim veram alicuius loci sententiam aperiret, multa eum vidimus colligere, vnde sumeret, quibus vti cum fructu posset; sed eundem praeclaris illis, quibus posterae aetatis hac in re studium

r) vid. CICERO de leg. l. 2. et PIERIVS VALERIANVS Hieroglyph. l. 39. c. 5. et multis locis *scriptores sacri*, in quibus mentionem faciunt angelorum, eius coloris vestitu hominum se oculis offerentium.

ſtudium faciles fecit progreſſus, non ſubleuatum adminiculis fruſtra eniti, quo tetenderat: cum contra, vbi quodammodo carere poſſet recentiori apparatu, nonnulla commode obſeruarit. Quibus etiamſi ſua iam ſtat fides, tamen vt nihil deſideretur, quod iure huc referendum videatur, finisque ſimul huic diſputationi imponatur idoneus, *vniuerſa quaedam* inſuper addam, *et quae diuturna diligentique librorum ſacrorum lectione Theophani comparata* poſſint exiſtimari. Ex hoc autem genere, quae reperiuntur apud eum, probatur haud dubie, quod communis iuris reddidit H. 45. p. 319. A. ſcilicet *ſcriptoribus diuinis in vſu eſſe, homines praecipuo aliquo concitatoque occupatos affectu animantium brutorum inſignire nominibus, canis quidem impudentem, mulieroſum equi, lupi rapacem, fraudulentum vulpis.* Ad hoc vero obſeruandum ſufficiebat aſſidua ac diligens lectio: s) quae quum in aliis inſtruenda eſſet antiquitatis, hiſtoriae, rituum, opinionum, aliarumque neceſſariarum rerum cognitione, optatum ſaepius non tulit fructum. Quis enim vel tironum nunc eſt, quin norit, πίςιν apud Euangeliſtas varium habere ſignificatum, nec ſemper tributam eſſe ei, cui *de diuina Ieſu Chriſti natura* eſſet perſuaſum. *Talem* vero *fidem ipſi adeo centurioni* Matth. 8, 10. *vindicat.* Quid enim, quaerit Hom. 44. p. 310. D. fuit, quod Dominum, in aliorum calamitatibus remouendis paulo cunctantiorem, nunc impelleret, ad auxilium puero, pro quo herus interceſſerat, ſine mora praeſtandum? Scilicet, reſpondet, quoniam ipſe, qui intimum ſcrutatur pectus, et latentia animi perſpicit cogitata, cognouerat,

s) Aliud huius rei non ignobile extat documentum H. 48. p. 333. A et D. et p. 334. A. Quum enim librorum ſ. lectione didiciſſet, voce *coeli* ſaepius ſignificari τὸ ὑπερβάλλον ὕψος: quid eſſet Luc. 10, 18. ἐκ τȣ̃ οὐρανοῦ πίπτειν, bene explicuit. Neque dubito, quin omnino ſententiam Domini hoc loco feliciter fuerit aſſecutus, niſi iuſto citius oculos conuertiſſet ad v. 20. quo factum eſt, vt, cum videret, Dominum a ſuperbia cauere diſcipulorum animis, hoc conſilium eius ad v. 18. transferret praemature. Namque opinatus ſic ille, quae leguntur v. 18. ita eſſe pronunciata, vt diſcipulis a laeto, quo eſſent gloriati, rerum ſucceſſu altos ſumendi ſpiritus praecideretur occaſio, verba notata, quatenus loquendi reſpexit vſum, *bene*, quatenus vero errorem, qui eſt indicatus, commiſit, *falſo* circumſcripſit hoc modo: *Quod daemones vos perhorreſcunt, ne miremini; princeps enim eorum poteſtate ſua excidit.*

rat, quanta esset rogantis fides, qui simulac conspexerit, ipsum item ad se parare, horrore quodam sacro contremuerit, metuens, *Deum excipere domo.* Non minus falsus est, cum υἱὸν τοῦ Θεοῦ *ita semper dici existimat Iesum, vt de interna aliqua cum Patre coniunctione cogitandum sit.* Hoc vero cum statueret, H. 49, p. 339. summis ad caelum Nathanaëlem effert laudibus, qui adductus a Philippo ad Dominum, hunc τοῦ Θεοῦ υἱὸν et βασιλέα τοῦ Ἰσραὴλ appellat. His enim, inquit, duobus nominibus duplicem illius distinxit naturam: υἱὸς γὰρ κατὰ φύσιν ὢν τοῦ Θεοῦ, ὡς ἄνθρωπος λέγεται λαβεῖν τὴν βασιλείαν παρὰ τοῦ πατρός. En tibi normam, ad quam, vbicunque demum haec occurrisset appellatio, interpretationem eius exigeret! Hinc ad Matth. 8. quaestione proposita H. 9, p. 53. D. vndenam daemones filium Dei agnouerint, quod illos, postquam deseruissent partes diuinas, incredibile sit, adsecutos esse suopte ingenio? At vero, respondet, prudenti quodam solertique id factum esse prouidentiae consilio, vt hostium quoque testimonio gloriae diuinae celebraretur magnitudo.

Sed superest aliud, de quo cum agendum sit paulo fusius, nouam, satius est, disputationem exordiri. Quum enim et leges, quibus in interpretando subiecerit se passim Theophanes, et modum ostendissemus, quo illas secutus sit: quod nostrum esse putabamus, dedimus operam, vt quoscunque demum ille in sententiis orationis sacrae enucleandis susciperet conatus, infixis quasi oculis obseruando, detegeremus causas, per quas steterit potissimum, quominus semper, quod appetiisset, consequeretur. De duabus dictum est; ad tertiam transeamus.



DE

THEOPHANE CERAMICO

DISPVTATIO

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS PERMISSV

M. CAROLVS CHRISTIANVS ERNESTVS

CHARITIVS

DIEI EIVSDEM HORIS POMERIDIANIS

DEFENDET

PRAESES

SOCIO ASSVMTO

M. IOANNE CHRISTIANO GODOFR. PRAEDICOVIO

VITEMBERGENSI.

APPENDIX PARTIS I. DE STVDIO ALLEGORIARVM, PRAECIPVO RECTAE INTERPRETATIONIS IMPEDIMENTO.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.





tsi nullus fere ecclesiae veteris interpres ab hoc, in quod nunc intendimus oculos, vitio plane reperitur immunis: qui tamen eorum inter Graecos maiori fuerit ei deditus studio, quam Theophanes, aegre nominaueris alium. Quare in immenso aliarum super alias, quas in homiliis coaceruauit, allegoriarum cumulo, quid mirum, si veritus ipse, ne satures veluti conuiuae, somno se potius, quam concionanti ipsi dent auditores, saepe rationis huius vtilitatem grauitatemque demonstrandi sensit necessitatem. [a]) Qua de interpretatione eius tropologica et mystica, quippe abhorrente prorsus ab elegantiori nostrae aetatis ingenio, omitterem lubentissime enarrationem, nisi mihi, qui susceperim de homiliis eius rectum ferre iudicium volentibus pro virili comparare, quae huc pertinerent, timendum esset, ne accuratis rerum aestimatoribus, hac parte disputationis praetermissa, propter intempestiuum aliquod rei tractandae fastidium, viderer officium dereliquisse. Causa enim, quae agitur, omnino postulat, vt indicetur, qualis sit Theophanes, cum hunc interpretandi modum init. Vt enim nihil dicam, homiletam illum esse, cui ex hac licentia fons dicendi promanarit perennis: hoc etiam plurimum nostra interest scire, vtrum venia per corruptam aetatis indolem concessa cum ratione quadam

a) Hom, 42. p. 302, somno oppressum increpat diaconum.



quadam ſit vſus. Namque vitiis adeo ingeniorum, quibus adhaereant, vel gratiam conciliari, vel addi deformitatem maiorem, certum eſt. Omnia vero, quae hoc conſilio erunt dicenda, hunc in ordinem commode poſſe redigi exiſtimo, vt *primum exponam rationes, quibus hanc explicandi methodum paſſim commendauerit in homiliis; vt memorem deinde ea, quibus, tanquam indiciis, intellexiſſe voluerit videri, hunc vel illum ſcripturarum locum maiori ſagacitate eſſe perſcrutandum; porro, quod tertium ſit, vt oſtendere ſtudeam, quousque fuerit haec apud illum progreſſa libido; denique, quantum detrimenti ceperit ab ea vera interpretatio, idoneis clarum faciam argumentis.*

Quae vero hic atque illic ita ab eo ſunt propoſita, vt ad excuſandum eius per allegorias interpretandi ſtudium aliquantulum certe poſſint valere, atque adeo ipſe minus temere illud amplexus eſſe videatur: ex his, non quaſi verius ſit reliquis, quae poſtea proferentur, aut proprium ei, ſed, quod pleniori pronunciatum eſt ore, primum locum ſibi vindicat hoc: *placuiſſe ſapientiae diuinae, libros ſacros ea deſcribendos curare oratione, ſub qua multiplex lateret ſententia.* Quid enim ſi diligentius perpendas, volunt aliud, quae leguntur Hom. 17. p. 101. A. ἡ πολύτροπος τȣ͂ Θεȣ͂ σοφία ηὐδόκησε ποικιλοτρόπως νοεῖσθαι τῆς γραφῆς τὰ μυςήρια· et Hom. 42. p. 300. C. πολυθεώρητος τῆς ἁγίας γραφῆς ἡ ἐξήγησις, ȣ͂τω τȣ͂ ἁγίȣ πνεύματος οἰκονομήσαντος, ἐν μιᾷ ῥήσει πολλὰ νοήματα περιέχεσθαι· praeſertim, quum Hom. 60. p. 413. Lucam cap. 10. putet, oppiduli, in quo domicilium habebat Martha et Maria, propterea non prodidiſſe nomen, vt lectoribus inueſtigationis ſolertioris faceret occaſionem. Ad hanc rationem generaliorem, ex qua, ſi vera eſſet, omnibus omnino ſcript. locis haec methodus recte adhiberetur, accedebat alia ſpecialior, quae neceſſitatem adeo illius certis in locis amplectendae efficiebat. Nam didicerat a patribus, *multa in libris ſacris occurrere, quae, niſi explicentur allegorice, repugnantiam inuoluant.* Hom. igitur 25. qua Ioannis de Lazaro in vitam reducto narrationem executus eſt, ſermonem Domini, per imaginem diei, ſolis luce colluſtratae, ſtatum a periculis tutum ſignificantis, iuſta prius ratione explanatum, noua diſtorquet interpretatione, χρὴ ἡμᾶς, ita infit, καὶ τὸ ἔνδον κατοπτεῦσαι ἀπόῤῥητον· ὅτι γὰρ βαθύτερόν τι ὁ λόγος αἰνίττεται, δείκνυσι τȣ͂ πράγματος τὸ παράλογον. Illud vero παράλογον, quod ſuſpicionem mo-

uet

uet Theophani, cernitur in eo, quod neque is, qui noctu in viam se det, pedem *necessario* allidat; neque *omnis*, qui interdiu faciat iter, maneat ab hoc discrimine tutus. Eodem praetextu vsus Hom. 46. pag. 323. B. Iesum fluctus maris voce diuina sedantem, negat vndas ac ventos, quippe sensus expertes, sed genios illos transfugas obiurgasse, qui, conniuente Deo, in perniciem rei humanae elementa ciere soleant; et Hom. 40. pag. 281. C. verba Gen. 1, 3. commemorans, πνεῦμα Θεȣ̃ ἐπεφέρετο ἐπάνω τȣ̃ ὕδατος. *Puerile vero*, inquit, *foret, credere, aquis, quibus, referente Mose, incumbebant tenebrae, inuectum fuisse Spiritum Dei, quo praesente omnem scimus dispelli caliginem. Aquas igitur*, pergit, *animas ille nominauit coelestes, prohibiturus, ne hebetioris gens Iudaica ingenii nomen diuinum imponeret Angelis.* Hom. 45. p. 318. C. et D. Seruatoris orationem excutit, qua diuites in regnum Dei difficilius dicuntur intrare, quam camelus per foramen acus. Reddendum enim iam fuit ad verbum, ne rectius videretur sensisse noster, quam res est. Prioribus bene illustratis. *Quoniam*, inquit, *Deus est, qui ista pronunciauit, idemque Scripturas nos iussit sagaci perquirere mente, neque oculos continere solum in iis, quae sunt ante pedes, sed ad sublimia erigere: non decet, cogitare nunc de camelo, qui contrectari potest. Nam qui literae inhaerent, terrenum pascunt, brutorum cibum, sed qui penetrant ad ea, quae animam quasi faciunt orationis, coelesti nutriuntur pane. Hic vero, si de animali esset locutus Dominus, non* εὐκοπώτερον *dixisset, quod nulla sub conditione potest fieri, sed* ὥσπερ ἀδύνατον κ. τ. λ. *Itaque camelum neque animal oportet intelligere, nec funem nauticum. Narrant vero, camelum animal, si quando grauius vapularit, in continua esse vlciscendi libidine eum, a quo sit laesus, donec animus eius expleatur. Pro more igitur ille consueto huic assimilauit hominem acceptae iniuriae vindictam perpetuo meditantem.* Sed liceat e multis, quae superant, eius rei exemplis, addere hactenus commemoratis vnum certe, ex quo, qualis aetatis istius de moribus doctrina fuerit, simul appareat. Sermonem facit Hom. 45. p. 357. de consilio, quod homini quaerenti, quid sibi, vitam aeternam consequi volenti, praeter praecepta Mosaica, esset faciendum, dedit Dominus, immensas, quas haberet, possessiones vendendi, et pecuniam ex venditis eis acceptam distribuendi pauperibus. Quod quum ansam praebuisset Iuliano calumniandi, et, si omnes venalia haberent bona, quis tandem emturus illa esset, interrogandi: Theophanes, vt confringeret, ipsius enim vtor

verbis,



verbis, mendacii huius dentes angulari veritatis lapide, omnia, quae suppetebant, conquisiuit. Postquam igitur prius responderat, Iesum tanquam Deum, bene praeuidisse, hanc adhortationem non nisi a paucioribus admissum iri, et discrimen aliquod esse placitorum doctrinae Christianae, quorum alia sint necessaria, alia suo cuiusque relicta arbitrio: postremum negat, haec Domini verba σωματικῶς solum esse accipienda; sciendum enim, admoneri nos ad vendendum, quicquid habeat animus studiorum turpium, idque impertiendum omne omni bono destitutis daemonibus: quo facto, felicitatis aeternae certissime futuri simus participes. Praeclare autem hoc modo seculorum illorum interpretes partes agere suas existimabant, quum persuasum sibi haberent, *Iesum atque Apostolos illud praeiuisse exemplum.* Initium faciamus a *Domino*, qui Luc. 13, 15. Pharisaeos ob sanatam a se die Sabbati mulierem indignatos interrogat, vtrum eadem religione occupati taurum aut asinum siti potius consumi sint passuri, quam abducturi ad puteum? b). Hic vero putat Theophanes, docere illum, quid postulet lex, ac suadere, vt per literam accedamus ad spiritum. Multas eo consilio ipse recenset leges a Mose latas, quas, quum seruare possit nemo, si quis nihilominus σωματικῶς explicet, id vero eum dicit magno suo facere damno, et τῇ τȣ̃ νόμȣ κατάρα γίνεϑαι ὑπόδικον. Hom. 12, p. 72. C et D. Haud multis verbis post (p. 73. C.) *Paulum* quoque huius disciplinae propositum sibi fuisse innuit magistrum, qui boum nomine non huic animalium generi, sed Apostolis putarit legem prospexisse. Negare enim eum 1 Cor. 9, 9. περὶ βοῶν μέλειν τῷ Θεῷ. Sed omnium maxime *Ioannes* ex opinione eius illud allegoriae studium commendatum voluit: quod obseruandi occasionem ei suppeditabat solito maior, quam deprehendisse sibi videbatur cap. 11, 1. in nominibus appellandis, Euangelistae diligentia. Quod enim hic praeter morem vicum, aegrotum, consanguineos, sua quemque distinxerit appellatione: id censet non in hunc solum ab eo factum esse finem, vt discrimen a Lazaro, de quo per parabo-

b) Eodem Iesum consilio *parabolarum* dicit vsum esse inuolucris Hom. 2. p. 8. D. προσεκτικωτέρους ἡμᾶς διὰ τȣ́των ποιεῖ πρὸς τὴν τῶν γραφῶν κατανόησιν, προτρεπόμενος μὴ πάντῃ προσέχειν τῷ γράμματι, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς παλαιᾶς αἰνίγματα εἰς πνευματικὰ μετάγειν νοήματα. Idem *Chrysost.* T. VII. p. 470. C. affirmat.

rabolam loquitur Dominus apud Lucam, ſtatueret, ſed multo potius, vt, quemadmodum ipſe alibi, (v. c. in enarrationibus de ciue Samaritana, et coeco homine) a rebus humilibus in ſublimius mente erexerit lectores, ita iidem nunc proprio conamine relationem hiſtoricam ad animum transferrent. Hom. 25, p. 159 A. His vero rationibus, quibus mira illa, auctores ſacros tractandi ratio inde a primis eccleſiae Chriſtianae ſeculis innixa eſt, diffidendum eſſe, iſtius aetatis homines ne cogitabant quidem, quum ſumma PP. apud illos eſſet auctoritas. Theophani quinam et quanto fuerint in pretio, cum cura indicauimus p. 13. neque opus eſt, oſtendere, quantam habuerit vim horum imitatio ad omnem illius interpretandi rationem conformandam. Satis eſt de peioribus, de quibus difficilius fuerit hoc exiſtimare, manifeſta oſtendiſſe documenta, e quibus intelligatur, ne hos quidem adeo fuiſſe nudos, vt, quod ab illis acciperet, non haberent. Hom. 1. ſtatim, *εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς Ινδίκτȣ, ἢ τȣ̃ νέȣ ἔτους*, p. 2. B. excitat animum ad telas allegoriarum nectendas *Maximi* auctoritate: *ἄλλα ταῦτα μὲν, οἷον σῶμά ἐςι τῷ λόγῳ τῆς ἑορτῆς, κατὰ τὸν ἱερὸν Φάναι Μάξιμον· Φέρε οὖν, καὶ ταῖς ἔνδοθεν θεωρίαις τȣ̃τον ψυχώσωμεν.* et Hom. 53. p. 361. D. *ἡμᾶς ὁ σοφὸς ἐδίδαξε Μάξιμος, καὶ ἐκ τῶν ςοιχείων τῶν ὀνομάτων, ἐκ τε τοῦ ἀριθμοῦ αὐτῶν πρὸς ὑψηλοτέρας ἐννοίας ἀνάγεσθαι.* *Ioannis Climaci* ineptias quam parum contemſerit, praeter alia, quae in eius laudem plena effudit manu, haec vox manifeſto declarat, qua Hom. 45. ad Matth. 19, 21, eius *ἐν τούτῳ τῷ ῥητῷ νοηθὲν ἀςεῖον καὶ μάλα πρόσφορον* praedicat, nempe hoc: *ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ θελήματα τοῖς προεςῶσι καθηγηταῖς, πτωχοῖς οὖσι τῷ πνεύματι.* Poſtquam igitur cognouimus, quid maxime impulerit Theophanem ad ſuſcipiendum allegoricae interpretationis ſtudium: intelleximus quidem, non temere ab eo eſſe actum: iidem tamen, niſi laudandi cupiditas animi impedit aequabilitatem, fateamur, oportet, moribus antiquitatis honore confirmatis obſequioſum illum ſe praebuiſſe cultorem. Sufficiebat vero iſtius aetatis homini, ad hanc literas ſacras vſurpandi rationem et ſuo ſtudio ineundam et commendandam aliis exemplum maiorum, et compoſitum ad illud ingenium ſeculi. Quod igitur a nemine, liberius iudicare adſuefacto, expectes, vt ſoli immorari literae, puſilli cenſeat, parumque eruditi animi; in ſententias orationem (loci ſubiecti) inflectere magnificas, praeſtabilius putet: id affirmatum legentibus Hom. 41. p. 292. A.

 inopi-



inopinatum offerri non potest. [c]) Sed quanquam in pertractandis scriptorum diuinorum operibus animum semper paratum habere iubet ad sententiam variam piamque e simplicis planaeque orationis quasi visceribus eruendam: difficillimi tamen rem aestimat negotii, ab historia ad contemplationem facere gradum, aut putaminibus quasi resectis occultam intus patefacere sapientiam. Hoc enim non nisi iis contingere, quos omni macula puros, virtutisque exornatos decore dignos repererit Spiritus s. quos illustraret fulgore suo; quare sibi, luto peccatorum conspurcato, proferre tantum licere mediocria. Sed fortasse, quem saepissime imitatus est, *Gregorii Nysseni de vita Mosis* ei placebat modestia, qui simili modo altiori anagogiae imparem se esse lamentatur. [d])

Eiusmodi autem interpretandi consuetudinem, etsi sua natura patet, non posse certis stabilitam esse praeceptis: tamen rem leuiter consideranti metuendum est, ne persuadeatur aliud. Legentibus quidem homilias Theophanis animaduertuntur quaedam, quibus primum excitatur opinio, non temerario aliquo arbitrio ex hoc vel illo loco allegoriam esse suspensam. Interdum enim *indiciis quibusdam inductum se ait, vt grammatica interpretatione vel abstineret plane; vel adhibita iamiam illa, exquisitiorem nihilominus tentaret.* Nostra quidem aetate, quicunque demum locos scripturarum mox nominandos inspexerit, quod nouum atque insolitum existimet, in iis deteget nihil: sed doctores ecclesiae antiquiores, ad eosdem, a quibus celeri expeditoque nunc recedimus pede, dubios haesisse atque admirabundos, ab initio non

c) Monendum hic est, eum, quem Celeberr. SCHROECKHIVS Hist. Eccl. P. IV. p. 91. in Origene reprehendit, per multa deinceps secula propagatum esse errorem, quo neglexerunt discrimen inter *sensum orationis figuratae proprium atque improprium.*

d) Si quis hic *Origenis* potius expressum putet exemplum, neminem habebit aduersantem. Constat enim, illum variae fortunae virum, quamuis non existimatus sit ὀρθόδοξος satis, imitatores tamen fautoresque nactum esse quam plurimos. *Gregorium* certe *Nazianzenum*, eiusque aequalem *Basilium* fauisse doctrinae Origenianae, eamque defendisse aduersus Arianos, auctor est SOCRATES in *Hist. Eccl.* L. IV. c. 16.

non tam indignamur, quam potius, tanquam laeto accepto omine, sperare incipimus, illius interpretis, quem certas prius notas requirere videamus, quam ad allegorias conuertatur, minus effrenatam fore huius methodi exercendae licentiam. Hanc vero spem quis non concipiat, quum Hom. 49, p. 340. ita differentem eum audiat: communem esse fidem, Angelos aut in coelis versari, aut super coelos, atque ex his sedibus suis, si quando mandata diuina sint exequenda, inter homines demitti in terras. Itaque cum Ioh. 1, 52. de Angelis sic locutus sit Iesus, vt prius de ascensu illorum et post hunc de descensu commemoraret: quaerendum esse, quomodo ascendant, qui non descenderint? mentem esse componendam πρὸς ἐννοίας ἰχνὰς, atque indagandum τὸ δόγμα τὸ κεκρυμμένον ἐν τῷ ῥήματι. Quis spem conceptam non confirmet, si forte ex eo, quod Hom. 17. p. 102. A. pronunciauit fieri posse, vt non totum parabolae contextum allegoriae conueniat, conclusionem adstruxerit, illum eadem iudicii libertate vsum intellexisse. Similia, quod dicunt, non esse ad viuum resecanda; atque huic legi obtemperantem, a plurimis, quibus alii, secus existimantes, irretiti fuerint, erroribus se seruasse liberum. Sed alia omnia. *Notae* enim illae ipsae, *quibus non nunquam agnosse se dicit, mentem scriptoris sacri simplicis interpretationis ope non posse proferri in lucem, ita sunt communes ac vulgares, vt volenti animaduertantur vbique*; et vel paullulum continuata lectio satis superque docet, nihil plane verbis istius speciosis esse tribuendum. Hom. 1. festum tabernaculorum praesignificationem sustinuisse resurrectionis, hoc argumento persuadet, quod haec non minus, quam illud, secundum 1 Cor. 15, 52. inter tubarum cantus sit futura solemnis. Laudat ἀκρίβειαν Matthaei H. 2, pag. 11. C. quod ad iniquitatem serui significandam, de quo cap. 18. fit sermo, apposuerit v. 28. ἐξελθών: quippe quod verbum eo valeat, vt perspiciatur, fines aequitatis et iustitiae illum migrasse. *E nominibus propriis singulares prorsus*, et quas, nemine inuidente, sua demum sagacitate excitas fuerit gloriatus, *deducit opiniones*; v. c. in Galilaea primos circa se congregasse Iesum discipulos, vt cogitandi nobis praeberet occasionem, ab instabili hac vita, perpetuaque fortunae vicissitudine illos a se esse delectos, Galilaeam enim interpretandam esse κατακυλιστήν. Hom. 5, p. 28. B. Eodem modo Gennesareth in hortos immutat daemonum, Hom. 5, p. 29. A. Praetereo reliqua, quae in lusum conuertit, nomina: Zacchaei, quod victorem pec-



catorum, Hom. 15, p. 90. D. Capernaum, quod reconciliationis interpretatur oppidum, H. 21, p. 136. B. Ierichontis, quod descensum reddit, H. 15, pag. 89. B. Ex his vero, inter quae, quamuis pauca, sunt, quibus falsos subiecerit significatus, aliisque, quae taedet afferre, nominibus, quamlibet in partem distortis, orationi admiscentur multa, quae, quomodo cum re proposita cohaereant, quaerere non nisi is sustinebit, qui ignorat, hanc explicandi rationem exlegem plane esse atque arbitrariam. Patitur enim illa, vt, quicquid placuerit, in medium proferas. Sic Hom. 11, p. 67. C. animaduertere iubet, Luc. 10, 31. scriptum esse ἀντιπαρῆλθε, nec solum παρῆλθεν. Admoneri nimirum homines, se, quum legem praeteriissent, perperam agendo, ab ea vicissim esse praeteritos. Quae quum ita sint, quid non speremus metuamus, ab artifice adeo solerti? *Fata certe Domini nostri, et doctrinae ab eo propositae, societatisque, propter receptam illam nomine ipsius insignitae, laeta tristia quin accuratissime inuenerit praesignata in rerum Israeliticarum historia, dubitaturum esse credo neminem.* [e]) Vident enim omnes, si qua alia, hanc theologiae partem prae reliquis mirifice lusibus inseruire atque argutiis. Nec defuerunt inde a primis fere ecclesiae initiis, qui hoc crimine se facerent reos: horum vero vlli vtrum cedat Theophanes, diiudicent, qui volunt, ex Hom. 3. εἰς τὴν ὕψωσιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, in qua experiri videtur voluisse, vtrum, quicquid de cruce typorum ante se esset exquisitum, congerere, eorumque numerum nouis suomet ingenio procreatis posset augere. Adeo sine discrimine probabiliora improbabilia miscuit! Quod non mirum in homine, qui *rerum necessitudinem e similitudine nominum diuinat, et quum haec abest, abscondita numerorum scientia valet.* H. 10, p. 63. A. Incredibile foret, in sententiis, quae plane non inessent, e scriptorum sacrorum oratione extor-

e) Sic duodecim Apostolos praefigurarunt Patriarchae; et septuaginta, quos praeter illos habuit Dominus, discipulos, viri, quos Moses, litium a se disceptandarum numero aucto, collegas adsciuit totidem. H. 48. pag. 330. Agnum paschalem Moses vespera ad lucernas accensas manducari praecepit coenam sacram significaturus, a Domino, vergente die, institutam; H. 13, p. 78. A. Arborem vitae in descriptione Paradisi idem appellauit ξύλον ζωῆς, stipitem praeuidens animo, ex quo suspendendus esset Iesus. H. 4, p. 20. A. etc. Cf. *Euthym.* ad Luc. 10, 1. et *Origenes,* rerum tam lepidarum auctor ad Exod 15, 27. Tom. II. *edit. Delarue.*

extorquendis, praecipuam illi, laudis dicam, an voluptatis, nescio, positam fuisse partem; nisi exempla hanc in rem abunde commemorata fidem facerent. Sed, *quod multo maximum est, etsi intelligit* ipse adeo, *interpretationem se dedisse aliquanto contortiorem et coactam: nihilo tamen minus eam retinet, caussa inductus nulla alia, nisi quod cum maxime visa fuerit commoda.* Parabolam, quam de filio prodigo narrat Lucas c. 15. ipse praedicat, a Chrysostomo accurate esse explicatam: sed, quoniam cupiebat interpretationem ingenio suo aptiorem, ad alios se conuertit Patres. Itaque, quo filio dixerat ille depictos esse iustos, hic angelos; quo ille iniustos, hic homines. Fatetur, allegoriam suam ita esse comparatam, vt a reprehensionis nota non sit munita satis: cur acquiescat autem in ea, satis solatii reperit in eo, quod: *si vel maxime fabulae alicuius pars tropologiam non admittat, ea tamen nullo modo penitus hanc ob caussam* sit *intermittenda.* Sed quamuis frequentissimus sit huius methodi Theophani vsus, tamen *vehementer errauerit, qui putet, quae per eam elicuerit, ita ab eo esse proposita, vt in dubium vocare illa, nefarium duxerit.* Ne igitur iniuriam faciamus illi, duo caueant loci, ex quibus, quid recte sentiatur, optime perspicitur. Hom. quidem 45. p. 249. D. Thomam ait nomen habuisse moribus conueniens. Illud enim et ἄβυσσον significare et δίδυμον· ipsum autem dubitasse de abysso resurrectionis. *Typis quid tribuerit, suis ipse doceat verbis* Hom. 36. p. 254. B. Ibi enim ex numero piscium a Petro, retibus, iubente Domino, in vndas proiectis, ad centum et quinquaginta tres captorum, quum plures elicuisset veluti neruos, quibus miranda illius capturae felicitas arcte cohaereret cum prospero rei Christianae successu, per magnam, qui Christo nomen darent, sensim accedentium multitudinem breui tempore insigniter auctae: e Patriarcharum insuper memoria, quo augustior existeret argumenti propositi species, nuptias repetit ab Abraamo per rei familiaris procuratorem filio cum Rebecca conciliatas. Puella enim ista, inquit, quum ad puteum conuenta sit primum, ecclesiae praebuit imaginem, per sacrum lauacri ritum Christo desponsatae; et literae, quibus efficitur mulieris nomen, ad calculos reuocatae, eundem colliguntur in numerum, quem piscium sagena protractorum fuisse, huius rei auctores narrant. Copiosam igitur, sic enim infert, quam fecit Petrus, piscium capturam, cultorum Christi praesignificasse multitudinem, licet



cet e Rebeccae discere historia; addito tamen simul hoc: εἰ μή πω δόξω περιεργότερος.

E quibus quanquam certum est, haud adeo magnum talibus ingenii luxuriantis foetibus a Theophane statutum fuisse pretium; tamen amor, quo amplectebatur illos, quum firmiter insedisset animo, eum non minus reddidit miserum, quam reliquos *allegoricae interpretationis* fautores. *Illa* enim *non potest non perniciosissimam habere vim in vniuersas partes theologiae*, cum, ex quo vnice haec est deriuanda, librorum s. fontem non turbet solum, sed corrumpat penitus, et graue interpretationis negotium rem faciat ludicram, pueris magis quam viris suscipiendam. Quod quum videret Lutherus, recti vir iudicii, eiusque socii, in emendanda literarum sacrarum disciplina pari cum illo laude versati, e nostrae quidem ecclesiae finibus illa est exterminata, nec, quod conati subinde sunt nonnulli, resistentibus pluribus, ad hunc vsque diem reuocari potuit. Nam quum, si qua alia eruditorum occupatio, haec, quae in mente Scripturarum s. versatur explananda, indigeat omnium maxime certo legum moderamine: ipsi praeter *impotentem* illam *licentiam, ac nulla patientem vincula*, quid possit pestilentius obuenire inter omnia, quae veritati vnquam offecerunt, impedimenta? *Facit* enim illa, *vt verbis auctoris sententia non subiiciatur ea, quae debet, sed quae cum maxime videtur vtilis. Quocum licentiae summae malo*, quod, quantum sit, nemo ignorat, *mira se consociat coniunctione aliud plane contrarium, putida, iustoque maior in rebus minutis inquirendis diligentia.* Ad haec duo enim redit, quicquid accipit damni ex hac peruersa methodo verae interpretationis studium. Incipiamus a priori. Exserit autem se modis illud innumeris; quorum nunc sufficit, quos in homiliis Theophanis deprehendimus, indicare prae ceteris memoratu dignos. Quae igitur primo loco est vituperanda, *eius in caussis, quas adfert, rerum spectandis negligentia reperitur saepius tanta, vt, quae primum in mentem venerit, eam venditet pro vera.* Ex libris quidem V. T. Onanem dicit ex Thamare vxore propterea noluisse procreare liberos, ne doloribus puerperii eius corrumperetur venustas. Hom. 12, p. 84. Ex N. T. autem historia, vt ab eo, qui princeps illius est, Domino ipso exemplum repetam, hunc quidem

quidem ad lacrumas de mortuo Lazaro effundendas quatuor impulsum causis existimat, quarum ne vna quidem diligentius spectantis probetur iudicio. Scilicet illacrumatum eum esse perhibet, vt eandem se habere ostenderet naturam, quae est nostra, modumque praescriberet luctus defunctorum causa suscipiendi; vt miseram defleret conditionem generis humani peccato corrupti, quod morte haberet opus ad animum materiae mole liberandum; vt duritiem deploraret Iudaeorum, quos praeuidisset miraculi tanti insolentia ad animum non emendandum, sed vehementiori inuidia aduersus ipsum incendendum iri commotum; denique, vt ostenderet aegritudinem animi, qua accederet ad Lazarum sui honoris causa in vitam turbulentam reuocandum e morte, quae, Salomone teste, piis eueniat exoptatissima. H. 25. p. 168 sq. In hac igitur non minus, quam in illa de Onanis flagitio enarratione, si falsas protulit causas, ex quibus neutrius rei originem repetendam esse appareat: quid tandem impediuit, quominus, quae incurrerent in oculos, videret, nisi, *quae ex allegorice interpretandi studio adhaeserat, consuetudo, vt multa dicerentur, proferendi etiam ea, quae vel longissime a re abessent.* Aliud vitium, illo non leuius, eodemque profectum a fonte, hoc est, quod *fictam, qua Dominus saepius vtitur ad erudiendum populum, orationem haud aliter explicat, quam res in facto positas.* Vnum appello, quod H. 2, pag. 11. D. obuenit, exemplum, vbi, qui memorantur Matth. 18. σύνδουλοι, hos angelos dicit esse coelestes, quippe συνδούλους κατὰ τὸν τῆς δημιουργίας λόγον ὑπάρχοντας, καὶ τῶν πράξεων ἡμῶν τηρητάς. Quemadmodum enim illi summam capiant laetitiam, peccatore redeunte ad frugem: ita eosdem magno affici dolore, nobis in vitia delabentibus. Τοὺς βασανιστὰς autem esse angelos malos, quibus pro dura officii, quod illis tribuit, ratione, haud inepte misericordiae abnegat sensum. *Vni eidemque orationis parti nunquam plures subesse sententias, adeo est perspicuum, vt sana quemque id edoceat ratio.* Hanc vero, quae inde enascitur, legem tanquam molestam sibi respuunt, qui non contenti fructu, quem librorum s. lectio praebet, communi paratoque omnibus, coelestiorem illum desiderant, quem Spiritus s. multiplicem, vt aiunt, quanquam sub literarum velamine absconditum, reposuit. Quidni vero etiam consequantur isti, quod cupiunt, qui neglecto orationis nexu, consilio auctoris, proprietate verborum, atque

omnino

omnino legum, quibus accurati interpretes lubenter obtemperant, sanctitate contemta, vnam, satius habent, arripere voculam, cui subiiciant significatum, quocunque demum ex loco arcessitum, si modo opinioni faueat, quam in praesentia volunt probatam? Quod qui in Theophanis homiliis suis vult vsurpare oculis, numeret, vbi animaduerterit, proprie illum explicare, quoties τάχα, nouae interpretationis indicium occurrat. Sic autem conformato ipsius ingenio, quod alius, eiusmodi concoquere non adsuefacti, facile mouerit stomachum, *ipse* quidem *eadem in parabola vni diuersas imponere personas non dubitat.* Sic Matth. 22. et serui, conuocantis conuiuas, et heri, coenae instruendae praebentis sumtus, partes, magnopere dispares sine offensione filio tribuit Dei, causis alias verissimis, ab hoc autem loco alienissimis vsus: eum neque humanam dedignatum esse induere formam, et ad se vocasse (Matth. 11, 28) omnes, qui recreatione indigerent. Repetendum hic est, quod alibi fuit monendum, *illum inter imagines versari solitum, quas mysticorum fingit solertia, rerum quotidianarum mediocritate superiores, summa petiisse etiam hic, vbi veritati conueniebat, inferiore subsistere gradu.* Sed veniamus *ad alterum damni genus*, quod allegorias captandi studium rectae interpretationi infert; et paucis, exemplo Theophanis, nobis persuadeamus, *leuitati, de qua adhuc vidimus, contra omnium opinionem arcto copulatam esse vinculo nimiam in interpretando diligentiam.* Hic vero largissima foret dicendi materia. Quicquid enim cura male sedula et prope anxia in suas trahere solet partes, id omne propemodum etiam tum adhibuit Theophanes, cum accurati interpretis videtur fungi voluisse officio. *Singula vrget verba, eorumque etymologiam, atque ex hac causas adeo deducit, cur aliquid sit factum; similia omnes distrahit in partes; ita, vt vel ea ad rem referat, quae ornamenti solum causa sunt adiecta:* vt alia taceam, quae legenti non minus, quam referenti pariant, necesse est, molestiam. Hom. 7. p. 40. C. nuga-

nugatur, *Iesum* Luc. 8, 5. propterea dixisse, dispergi ab *agricola* semen αὐτῦ, quoniam *ipse* fuerit *agricola ille*, idemque, λόγος ὢν τῦ Θεῦ ἐνυπόςατος, a nemine alio doctrinae suae semen sit mutuatus. Hom. 9. pag. 54. B. illam daemonum multitudinem, qua Marc. 5, 8. Gadarenus se teneri querebatur obsessum, λεγεῶνος appellari nomine, argutatur, hac de causa, quod crudelitate ac malitia reliquos longe superarit. λεγεὼν enim, addit, ἡ ἐπίλεκτος λέγεται ςρατιά. Quaerit Hom. 28. pag. 214, et 215. cur Iesus, factus a morte redux, in Galilaea potissimum elegerit montem, in quo conueniret discipulos. Celebrioribus igitur montibus enumeratis, et quid obstiterit, quominus isti hoc honore mactarentur ab illo, coniecturis multifariam propositis, montem Galilaeae docet et habuisse in se, et accepisse a loco dignitatem, quae eum prae caeteris idoneum reddiderit, ad Dominum, qui mox in coelos fuisset abiturus, recipiendum. Dicendum tantum de altero: prius enim eodem iure de quolibet colle praedicare poterat. *Galilaeam* igitur, vt saepius, hic quoque monet, nomen habere significans mundum, perpetuis agitatum vicissitudinibus, ex quo iam ille parauerit abitum. *Quod ad parabolas* denique *attinet*, in N. T. propositas, *constat de eis* non minus, quam de reliquis eiusmodi orationis formis, *ea, quae fabulae exornandae inseruiant, ad rem ipsam, quae significatur, parum, et saepe nihil habere momenti.* f) *Hanc* vero, *quae oritur*

f) *Eustathius* Comm. in Hom. Iliad λ. p. 856. v. 44. ed. Rom. ὖ πᾶσα παραβολὴ ὅλη διόλυ κολλᾶται τῷ πράγματι, ἀλλ' ἔςιν, ὅτε καί τινα ἔχει ἀνόμοια, ὧν ἀμελητέον, ἐπιλεγομένους μόνα τὰ ὅμοια. Idem multos monuisse ex ecclesiae veteris DD. ait *Petauius* Dogmat. Theol. Tom. I. Lib. 7. c. 11. §. 4. pag. 305. 306. sed neminem nominat. Sunt vero praecipue hic legendi *Chrysostomus*, *Theophylactus* atque *Euthymius*. *Chrysostomus* quidem Hom. 64. in Matth. habet ita: ὖ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι· ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι' ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπε-

oritur inde, quum nemo, fi
non sequatur legem; eiusdem
p. 10. in explicando loco M
rationem habente: *huius vitii*
venda est in consuetudine,
usum contracta, vel minima q
quo grauissima, studio amplect

δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυ
coll. p. 487. E. *Theophyla*
cap. 16. *περὶ τοῦ οἰκονόμου*
v. 39. et Lucae cap. 16. v.
quod alter eadem eius ver
gistri. — Nec pauca, qua
summe Ven. MORI libellu
interpretatio nitatur. Lip



n nemo, ſi vel maxime artis ſit imperitus, *ſua ſponte* *m; eiusdem ſi fuit immemor Theophanes*, vt H. 2, ndo loco Matth. 18. de creditore cum obaeratis ſibi : *huius vitii cauſa* haud minus, quam priorum, *quae- ſuetudine, per crebriorem allegoricae interpretationis vel minima quaeque circumſpiciendi curioſe, atque eodem, udio amplectendi.*

ὴ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω. Tom. VII. pag. 638. E. . *Theophylactum* vide in Euang. pag. 453. C. ſqq. ad Lucae τοῦ οἰκονόμου τῆς ἀδικίας' *Euthymium* in Matth. cap. 13. ne cap. 16. v. 5. *Duo poſteriores* hauſerunt e *Chryſoſtomo,* dem eius verba repetendo docet, alter addendo nomen ma- c pauca, quae hanc in rem cum fructu comparentur, continet MORI libellus, quo *oſtenditur, quibus cauſis allegoriarum nitatur. Lipſ.* 1781.

